

Johannes Rhete

**Oratio quam In solennes coniugii honores Reverenda pietate ... M. Davidis Reutzii, Illustrissimae aulae, quae Stetini est ... Sponsi; Et ... virginis Marthae, ... viri Dn. Johannis Bunsovii, I. U. Doctoris ... filiae, Sponsae; Die XIV. calend. Septembris celebrandos**

Stetitini: Rhete, [ca. 1630]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74741761X>

Druck Freier  Zugang




Rhete, J.,  
in D. Revtz  
et sponsam M. Bvnsov.  
Stettin.

7.







ORATIO *Bunsov*

quam

In solennes conjugij honores

*Reverendâ pietate, doctrinâ excellenti  
viri clarissimi*

M. DAVIDIS REVTZII,  
Illustrissimæ aulæ, quæ Stetini est, concio-  
natoris vigilantissimi, affinis sui  
reverenter colendi,

SPONSUS;

ET

Leçtissimæ pudicissimæq; virginis

MARTHÆ,

*Clarissimi, consultissimiq; viri Dn. JO-  
HANNIS BUNSOVII, I. V. Doctoris, &  
quondam, Iudicij provincialis Ducum Megapo-  
lensium Illustrissimorum advocati ac procuratoris  
meritissimi, relictæ filiæ,*

SPONSÆ;

Die XIV. calend. Septembris celebrandos,  
Scripsit ac dicavit

JOHANNES RHETE.



STETINI *1794*

Typis fratris Ioachimi Rheten.

Q. R. A. T. I. O.

In solenne conspectu


Reverendi patris, etc.

M. DAVID REYNTNII

invenitur, etc.

invenitur, etc.





# ORATIO DE CONIVGIO.

**D**OLENDVM, EHEV DOLEN-  
dum, in imminente rerum humanarum occasu,  
circumactaq; jam fermè præcipitantis a vi pe-  
riodo, reperiri non paucos, tantâ mentis caligi-  
ne, tamq; tetrâ animi tenebris oppressos, ut ho-  
nestissima quæq;, & summis laudibus dignissima  
improbare & damnare studeant, & dum id faciunt, digito se cælû  
attingere, albæq;, quod ajunt, gallinæ filios esse arbitrentur. Ex ho-  
rum numero hæc nostrâ mundi senectâ non tantum est fida san-  
ctitate cuculligerum genus, sed etiam quidam Politicorum, aut hor-  
non obscurus, quem facile vitio senectutis desipere crederem, nisi  
â veritatis calle ad errorum latebras et a via spelæa descivisse no-  
vissem: Nam præ nimiam sapientiâ eò insipientiâ, vel potius præ ni-  
mia sanctitate eò impietatis processit, ut divinis, naturalibus et  
civilibus legibus & statutis contradicere non erubescat; dum im-  
piè statuit, sapienti, literato et prudenti uxorem non esse ducen-  
dam. Hanc verò sententiam esse falsissimam, jucundis, iisque  
claris argumentis & rationibus evincâ. Verum, quia veritatis, te-  
ste Euripide, est simplex oratio, & Pindaro authore, in bonâ causâ  
tria verba sufficiunt, veniam mihi Magnifici, Reverendiss.  
Nobiliss. Doctiss. Consultiss. Prudentiss. Humaniss.

A 2

Domi-



## O R A T I O

Th
 Domini fautores colendiss. & lectores benevoli, vos esse daturos confido, si hæc mea oratio pauciores Ciceronis flosculos, rariores lepores, aut exiguos eloquentiæ liquores redoleat, admisceat, sapiat. *Ut* verò maximè perspicuè & dilucidè agam, omnium primum naturalibus & politicis rationibus & fundamentis innixus probabo, quòd viro literato vel imprimis uxor sit ducenda; exinde verò Theologiæ fontes limpidissimos huc facientes adspargam. Agite videamus itaq; quid possit utriusq; nostrum sententia, & utra nostrum ratio evicerit melius! Ego illis, si vicerint, herbam porrigam: Sin victi fuerint (penes vos a. residebit in urnam, nigros albosve calculos immittendi potestas) cedant vel inviti. Quis autem vestrum est, qui nesciat, corpus aliquod animatum facilimè interiturum esse; nisi Natura id ipsum ita condidisset, ut posset sui simile procreare;: Unde præter facultatem nutriendi & augendi, etiam generandi facultatem ei indidit. Cum his tribus verò facultatibus ita comparatum est, ut, si quod corpus alterà earum destituatur, vel non ad justam & competentem staturam accrescat, vel deniq; tertia ipsi desit Naturæ functio, nempe speciei propagatio, perfectum id ipsum non sit. Cum verò Natura etiam Hominem sic condiderit, ut habeat has tres facultates; quis eundem perfectum dicet, nisi propriam Naturæ functionem, speciei scilicet propagationem, edat: Quod nisi fiat, quis est, qui non intelligat, genus humanum brevi esse interiturum. Si igitur, o homo, ad perfectionem tuam aspiras, ut aspirare debes, & de propagatione speciei cogitas, tum profectò uxor tibi erit ducenda: Non enim ita comparatum est cum animalibus ac cum plantis, quæ (cum absq; discretionem sexus sint) absq; conjunctione alterius semina perfecta edere, & plantam sibi similem procreare possint; Animalia verò non item. Vxore igitur non ductâ nemo perfe-  
tus

DE CONIVGIO.

Etus & absolutus erit, quòd adverteretur Naturæ, dum non opus facit quod maximè est secundum Naturam: Provida namq̃ mater natura nihil frustra intendit aut agit: Cùm enim homo unus & solus generare, & sibi simile, quemadmodum plantæ, producere non possit; Natura non solos mares, nec solas feminas, sed & mares & feminas produxit, & adhuc producit, & proinde respectu generationis unus homo non est perfectus homo (quemadmodum una eademq̃ arbor est perfecta, & eiusdem speciei arborem potest generare) sed duo in unâ carne demum sunt unum quid perfectum. Et præterea, quòd provida Natura Mari & Fæmine bina (pudicis omnia pudica) ad generationis opus præstandum adiunxerit genitalia. Quòd deniq̃ Natura cordi utriusq̃ sexus mutuuum ad conjugium desiderium, mutuuum amorem, mutuam propensionem indiderit & instillaverit. Hæc omnia Naturam fecisse frustra, quis adeo in Naturam impius esset, qui diceret? Qui igitur à conjugio abstinet, nec præstat illis membris ea, ad quæ eadem à Natura sunt destinata, ille contrariatur Naturæ, & merito monstrum in Naturâ dici potest; cùm tanquam homo imperfectus tertiam Naturæ suæ operationem non edat. Quapropter summæ in Naturam & Rempub: ingratitude & injuriæ summo jure accusari potest: Cùm enim lex Naturæ & Reipub: requirat, ne quod beneficium ab alio accepimus, alteri denegemus, omnem profectò hominem summâ ope riti decet, ut quam accepit Naturam humanam naturali generatione, etiam alteri eandem eâdem ratione & modo reddere possit. Num verò celebs idem præstat? Minimè, sed unicus & solus absq̃ uxore generationem præstare non potest, nec tamen ad uxorem ducendam animum appellit; Naturam humanam, quam naturali generatione à parentibus accepit, alteri per infinita secula reddere recusat, & quam

O R A T I O

immortalitatem in speciei propagatione Natura intendit, eam, quantum quidem in se est, amoliri contendit. Quid aliud est injuria, quid aliud ingratitude, si hac non est? praesertim cum ea non tantum Naturam, verum & Rempub: attingat & offendant. Si namque (ut placet Stoicis) omnia, quae in terris gignuntur, ad usum hominum creantur, existimas hominem, qui tamen est praestantissimum Naturae opus, propter se tantum (quemadmodum immanes bestiae) natum esse? Non sic: Non nobis solum nati sumus, ut praeclare scriptum est à Platone, sed ortus nostri partem patria sibi vendicat, partem parentes, partem amici. Cum itaque liberi non tantum sibi & parentibus nascantur, & vivant; sed & in Reipub: commodum & emolumentum vivere debeant, caelebs maximè ingratus in Rempub: esse videtur, dum non relinquit post se, qui suo loco Reipub: rectè & utiliter consulant, inserviant, eiusdemque commodum & utilitatem quarant & promoveant. Imò propterea nuptias negligere videtur, ne Reipub: quae non nisi per legitimam liberorum successionem immortalis evadere potest, perpetuo floreat, sed tandem intereat & corruar: quod equidem facillimè, praesertim si illa publica societas sit exigua, qualis est pagana, fieri potest. Videte hominem (si modo hominis nomen, & non potius bestiae, quae sibi tantum vivit, non verò alijs, meretur) videte, inquam, hominem, qui supra modum injurijs Reipub: incessit acerrimis: videte ingratum, qui, praeterquam quòd extra conjugium vivens publicas societates inde provenientes damnat, earumque interitum molitur & intendat, etiam id beneficium, eam salutem & benignitatem ingratus politicae societati denegat, quam tamen ipse ab ea accepit. Vnde optimè ac sapientissimè fecisse celebratur Lycurgus, quòd legem tulerit, ut, qui uxorem ducere non decrevisset, ignominiam vulgò notarentur, & à ludis ac spectaculis publicis ar-

DE CONIUGIO.

cis arcerentur: hyberno verò tempore nudi per forum ambularēt  
 & seipfos execrarentur, quòd nec naturalibus nec civilibus legibus  
 parere voluissent. Hinc liquidò apparet, quòd haud ulla gens &  
 natio sit, modò Naturæ legibus & optimis institutis parere  
 voluerit, apud quam matrimonij vinculum non semper fuerit san-  
 ctissimum, & magna religione celebratum. Quare igitur apud  
 nos reperirentur, qui ad uxorem animum applicare nollent?  
 præsertim cum notum sit, parentes etiam post sua funera laude et  
 honore condecorari, si filios post se reliquerint, qui, eorum sustinē-  
 tes vicem, labores Reipub: gratiā suscipiant, eiusdem commodum  
 & salutem querant ac promoveant. At quomodo quæso ille, qui  
 filios ex legitimo conjugio natos non relinquit, propter filiorum res  
 præclare gestas benè audire, quomodo laude & gloriā affici potest?  
 Videtis igitur calibem etiam gloriā et honorem fugere, quem ta-  
 men omnes sibi cōoptant, quem magnificiunt, quem non negligūt,  
 sed eum propter infinitos labores suscipiunt, & vel Augiæ stabulum  
 expurgant, tantum ut & vivi & mortui æternis decorentur hono-  
 rum encomijs; quæ calibs nunquam adire verè poterit: Namq̃ ut  
 morbo aliquo et sensus stupore correpti sua vitæ cibi non sentiunt:  
 Ita nec calibs veræ laudis & honoris gustum sentit. Quemadmodū  
 verò gloriā & honorem, ut dictum est, tam illiberatiter asper-  
 nari & fastidire; ita contrà ignominiam, infamiam & contumeli-  
 am expetere videtur. Notum enim est, quòd defunctis, si ex illo-  
 rum famil. à vel pauci vel nulli in vivis amplius sunt, siq̃ eorum no-  
 men planè exolevit, probrosum sit, & Deum graviter offendisse e-  
 xistimentur. Calibs igitur, dum lubens & volens de liberis, ex  
 legitimo conjugio natis, sollicitus non est, & ita ultimus et extre-  
 ma quasi linea fit sue familie, summo jure infamiā & ignomiā  
 (quam ipse desiderare & expetere videtur) à quolibet ut notetur  
 dignus

## O R A T I O

dignus est. Si quis enim exoptat, ut familia sua in aeternum floreat, profectò operæ pretium erit, ut non tantùm interdiu in quovis virtutum genere desudet, sed ut etiam nocturni quicquid restabit temporis impendat uxori, eiq; operam suam elocet. Parùm enim & rarò frustrabitur, quin in eâ posteritate vivat, vigeat & floreat, donec hoc mundi systema corruat. Nam præterquã quod maxime dulce sit filios gignere, alere, educare, in ijs & corporis & animi sui imaginem quotidie intueri, eorum balbutie & puerili simplicitate mirificè delectari, etiam hoc accedit, quod masculi filij quasi familiarum columen, & quedam immortalitatis sint documenta, cum in eis parentes quodam modo renasci videantur, dum illi cognationem propagare valent. Quare jure optimo vir quidam sapiens eos beatos appellat, qui bonos filios procreârunt: Et alia quedam muliercula rogata, ut thesaurum suum promeret, filiolos suos commonstravit, quibus locuples famæ & nominis thesaurus conquiri posset. Insuper propterea in cælibatu vivere videntur, quod cognitum & perspectum habeant, per nuptias sibi contingere affines, quibus consilio & operâ prodesse, & aliquando commodare tenerentur. Hoc profectò ut in calibe planè singulare est: ita etiam maxime vitiosum & contra Naturam & essentiam hominis: Homo namq; suâ naturâ socios, familiares, amicos sibi quærit, & necessaria arte sincerâq; amicitie vincula appetit, dum cogitat, nullam vel ætatem vel conditionem hominum reperiri, qua in varijs hujus vitæ molestijs, curis & incommodis, veris amicis carere possit: Vnde verissimum est, quod dicitur: Amicus verus magis est necessarius, quàm Ignis & Aqua: Hinc Latini amicos Necessarios dicunt. Nec minus verum illud est, quod à Fabio proverbij vice citatur: Potiores sunt veri amici, quales sunt affines, quàm pecunia, & ad vitæ præsidium plus habent momenti citra  
pecuni-

DE CONIVGIO.

pecuniam, quàm absq̄ amicis opes. Cælebs igitur, dum nullos sibi affines, quibus cum mutuis certet officijs, per nuptias sibi acquirere et comparere studet, veriùs belua, quàm homo dici potest. Beluæ enim citra ullius consuetudinem vivere, nec de proximo suo, ut ita loquar, cogitare certum est. Quin imò fieri nequit, ut quispiam perpetuò in alienis adibus absq̄ propriâ familiâ vivat, necessariò itaq̄ tandem Patremfamilias agere cogitur: Si verò patremfamilias agit, necesse est habeat, qui sibi sint subditi: Princeps enim pars non sine subditâ, nec subdita sine principe concipi potest. Non verò sufficit, ut tantum sit instructus servis & ancillis, verùm & uxore et liberis opus erit, siquidem non tam propter servos quis dicitur Paterfamilias, quàm propter conjugem & liberos. Si igitur conjux absit, tum domus ipsius perfecta non erit. Et etiam si domus absq̄ uxore perfecta esset, nihilominus tamè eâ carere potest. Quomodo enim divitias & opes, quas necessariò sibi quis acquirere tenetur, si in senectute honorificè velit vivere, commodè sibi comparare, vel si contingit ut compareret, quomodo easdem conservare potest? cum haud rarò accidat, ut, dum cælebs quispiam foris negotia tractat, comparatae divitiæ furto vel à proprijs servis auferantur, aut alio quodam modo pereant. Quomodo item familiam sic regere & alere potest, ne apud alios de victu, vel de alijs quibusdam rebus justè conqueri possit? quod profecto Domino quàm molestissimum esse solet. Et quia & sanitas & debilitas corporis maximè ex cibi & potus ratione dependere videtur, quomodo cælebs valetudinis suæ rationem & curam habere potest? Ancilla enim plerunq̄, vel ignorant exquisitos & corpori salutares cibos preparare, vel Dominus quandoq̄ non vult sibi delicatulos cibos ab ijs preparari, præsertim, si forsan de fidelitate earum dubitet. Cælebem igitur delicatè & jucundè vivere haud arbitror. Et quomodo

B

demiq̄

O R A T I O.

deniq; cætera opera domestica, quæ infinita et varia sunt, commodè et ex re suâ edere possit non video. Itaq; fieri non potest, ut ea domus rectè gubernetur, quæ prudentis mulieris sedulitate non utatur. Quare meritò clamat sapiens quidam Græcus: Bonam mulierem esse familiæ gubernaculum. Cum hac igitur serui & administri, etiamsi ex solo nuru Domini voluntatem intelligerent, et, quod aiunt, ad digiti crepitum obedirent, non tamen mehercule essent conferendis. Huic domesticarum rerum procuracionem curò committere potest: Hæc, dum foris vel publica vel privata tractat negotia, rei familiaris curam suscipit: hæc providet, quæ ad vitæ cultum maxime sunt necessaria: hæc, si quid cupit, statim intelligit, idq; diligentissimè accuratissimèq; præparat. Accedit et hoc, quòd vita humana mille difficultatibus; mille morborum perplexitatibus; mille ærumnarum ambagibus obnoxia est, subjacet et intricata est: nunquam sodalis sodali, frater fratri, liberi parentib; tam sunt fideles, tantòq; benevolentia & amore alter alterum prosequitur, quantus suffecerit: quid tum demum miseris solatij erit? nisi ut afflicti morborum pertinaciâ de servorum dubitent fide; de amicorum dubitent constantiâ; de filiorum parentumq; desperent animo: Verùm si uxor tibi conjugij vinculo adstricta fuerit, horum nihil extimesces: Hæc enim in malorum tempestate permanet: in morborum multitudine immota persistit: et quicquid deniq; inciderrit, constanter tecum subit, nec à superiori tempore decedit: hæc nõ minus te, quàm seipsam diligit: Hæc te discedentem pijs votis prosequitur, redeuntem lætissimo vultu excipit. Cum hac demum amabiliter vivere: huic securè fidere: cum hac animi tui secreta communicare: huic rerum tuarum curam sine ullo perfidia timore tribuere: hujus diligentia securus in utramq;, quod aiunt, aurem quietè dormire poteris. Etenim hæc socia est & consors, imò particeps

DE CONIUGIO.

ticeps videtur omnium fortunarū & affectionum mariti: si namq̄  
 is lætatur, etiam illa lætatur: si dolet, & hæc mærore languet, &  
 gratâ sedulitate suam erga illum fidem & amorem ostendit: quan-  
 do verò melius habet & aliquanto fit hilarior, hanc confestim re-  
 creari, lætoremq̄ fieri videbit. Et si contingit, ut decumbat,  
 morboq̄ sit implicatus, vel senectute, quæ officio curâq̄, maximè  
 indiget, prematur, hæc ipsi semper adest: hæc assidet: hæc eum cõ-  
 solatur: ab hac ea audenter flagitare potest, quæ sæpe numero a-  
 lijs injungere pudor vetat: hæc amore non fucato, sed puro ac sin-  
 cero ipsi servit: hæc eum nunquam deserens sollicita circa lectum  
 assiduè versatur: hæc quicquid opus est, ocysimè præparat, adeò  
 ut huic vitam suam maritus tuto committere possit. Sed dicas for-  
 san, servos etiam tales se præstare: Longè, longè erras: Nihil enim  
 ferè à servis amanter, nihil officiosè, nihil ex animo perficitur. Et  
 quamvis nonnulli in ministrando paulù diligentiores esse videan-  
 tur, tamen si quis oculos posset in eorum pectus inserere, videret ibi  
 mæximam animi malitiam: ingens in Dominos odium: incredibi-  
 lem rerum omnium negligèciam: videret eorum animum perniciem  
 Domini perpetuò molientem; eiusdem calamitatibus & miserijs  
 gaudentem, quamvis tristitiam vultu præ se ferre videretur. Ho-  
 rum igitur ministerio si quis uxoris fidelitatem & amorem compa-  
 ret, ille profectò erit stultissimus. Vide ergò, cave, duc, ne fallas  
 temetipsum: Namq̄ nulla vel ætas vel conditio hominum reperit-  
 tur, quæ ab omnibus immunis sit molestijs, curis & incommodis; et  
 sic nec à conjugio curæ & molestiæ abesse possunt, quæ tanto erunt  
 duriores & graviore, quâto minus ante vidit, cavet, quàm duxe-  
 rit. Quemadmodum enim boves sub uno subjugati jugo minori cū  
 labore functiones & operationes suas edere & præstare possunt: ita  
 etiam nihil tam videtur onerosum, tamq̄ molestum, quod vir et u-



O R A T I O

xor conjunctâ operâ non facillimè ferant & tolerant, modò alter al-  
 teri suam non denegaverit operam. Tanta enim in cõjugio est dul-  
 cedo, tanta suavisitas, tanta jucunditas, ut plurimi conjugè, quam  
 amabant, & cujus iucundissimâ consuetudine fruebantur, amissâ  
 miserrimam sibi vitam restare existimârunt, & proinde diutius vi-  
 vere noluerint. Quin etiam eorum exempla reperiuntur, qui pro  
 conjugè vitam profundere non dubitârunt. M. Plautius, cum u-  
 xor eius Horestilla decessisset, tanti maroris impatiens seipsum  
 pugione confodit. Eadem vis amoris erga conjugem fuit in C.  
 Plautio Numida; morte enim uxoris auditâ doloris impatiens  
 pectus suum gladio percussit. Lucius Silanus Claudij princi-  
 pis gener, ereptâ sibi Octaviâ, datâq; Neroni, præ dolore gladio  
 suo incubuit. Nec minus ardentis in maritos amoris uxorùm e-  
 xempla reperiuntur. Gunilda, cum videret exequias mariti sui  
 Asimundi Danorum Regis, spiritum ferro sibi subripuit. Cum  
 Senecæ Nero generis mortis arbitrium obtulisset, ipseq; defectis  
 venis delegisset, ut in balneo in sanguine simul etiam vitam effun-  
 deret; Paulina eius uxor, conjugali amore compulsâ (quanvis  
 Seneca repugnaret) mori tamen ipsa quoq; decreverat, ut non  
 minus in morte, quàm dum vixerat viro fidissima comes esset. Cæ-  
 terum cum rem Nero præscivisset, misit qui sanguinem sisterent,  
 atq; eam in vitâ retinerent. Itaq; cum jam multum sanguinis esset  
 effusum, pallida semper mansit, atq; in vultu pudici sui amoris signa  
 semper retinuit. PORCIA M. Catonis filia cum apud Phi-  
 lippos victum & interemptum Brutum virum suum cognovisset,  
 ardentes ore carbones, quia ferrum non dabatur, haurire, atq; ita  
 mori voluit. Verùm quid ego singularia exempla commemoro,  
 cum omnes Indorum Fœminas maritum in funere morte vo-  
 luntariâ libentissimè sequi solitas esse dicant. Si quis autem tam  
 ferreus

DE CONIVGIO.

ferreus esset, ut his, quæ jam dicta sunt, non moveretur, commovere illum imprimis deberet, quòd videlicet ita nobiscum comparatum sit, ut quia corporibus nostris concupiscentia ingenua est, impossibile nobis ferè sit in vitâ calibe omnis generis libidines vitare: corpus ab omni fœdâ contaminatione purum conservare; DEVS Verò ut casta est mens, ita impudicis maximè irascitur, adeò, ut non tantum illos, qui se fœdis polluerunt libidinibus, gravissimis afficiat pœnis, sed sæpissimè totam etiam civitatem extinguat & deleat: quâ etiam ratione antiqui à scortatoribus & adulteris, gravissimas pœnas sumserunt. Macrinus Imperator severissimè in duos milites propter fœdam eorum libidinem animadvertit: inclusit enim eos in duos boves, exertis capitibus, ut colloqui possent, donec extincti sunt. Nec minor Valerij Aureliani in simili scelere puniendofuit severitas: militem enim inflexis duabus arboribus alligavit, quæ cum rursus erigeretur, miles discerptus est. Zaleucus, quia legem tulerat, ut mœchi erutis oculis pœnas luerent, suus verò filius adulterij crimine damnaretur, sibi oculum, filio item oculum eruit, ut ita suæ legi satis fieret. Et harum pœnarum non solum pleni sunt libri profani, sed etiam sacri, ex quibus plurimæ addi possent historiæ, nisi eadem nobis singulis, ut qui Christiano nomini addicti sumus, notæ essent. Sciunt balbutiètes, qui nec initia linguæ vernaculæ ritè proferunt, quòd ab ipso parente & opifice orbis terrarum societas conjugalis initium ducat, qui Adamo mulierem sociam adjuxit, cum sine ea invidendam prorsus & molestam fore eius vitam intellexerit. Vnde etiam illam primam fœminam non amplius è terra, sicut virum fecerat: sed ex ipsius viri costâ, quam dormienti subtraxerat, conformavit, ut posterius intelligerent, nihil uxore, quam de viri corpore produxisset, carius esse debere: Quòd item parentes liberis, jam ad con-

Non in  
scortis  
horum  
et mac  
chris.

## O R A T I O

ad conjugium idoneis, de conjugio prospicere, & cavere jubeantur, ne cum gentilibus conjugia faciant: Quod sanxerit præcepta, qualia sunt Quartum, Sextum & Decimum, quæ pro conjugio faciunt: Quod ipse cuilibet suum det conjugem, & benedictione & gratiâ suâ ad consummationem usq; seculi pijs conjugibus præsto sit: Quod cōjugium jussu Dei Angeli promoverint, et conjugum eorumq; liberorum custodes sint fidelissimi: Quod ipse salutis nostræ & felicitatis autor Christus tanto honore matrimonii prosecutus sit, ut de matre virgine quidem, sed conjugio locatâ nasci voluerit: Quod idem matrimonium suo suffragio magnoperè comprobans nuptijs Cananæis interesse; eas primo divinitatis suæ miraculo cohonestare voluerit: Quod se cum Ecclesiâ suâ quadam matrimonij figurâ conjunxerit, & se Ecclesiâ sponsum multoties appellârit: Quod æternam illam beatarum animarum vitam nuptijs compareret, & neminem eâ fruiturum aperè denunciet, nisi qui tanquam ad nuptias bene cultus & nuptiali veste exornatus accesserit: Quod conjugium sit quasi speculum illius amoris, quo Christus, tanquam sponsus, suam Ecclesiam prosequitur: Quod certi possint esse parentes, quod se pater cælestis tanto foveat amore, quanto ipsi suos liberos: Quod conjugium sit viridarium & seminarium Ecclesiæ: Quod deniq; conjugii faciat ad regni cælorum impletionem. Sed quia hæc & similes rationes cuilibet Christiano merito debent esse quam notissimæ, illis supersedere volui.

Videndæ hîc essent eæ (quarum initio meminî) rationes, quibus improbatore conjugij id ipsum impugnare student: Verum, quia earum pleræq; ex antè dictis concidunt, & in nihilum abeunt, illas subjungere hæud opus esse arbitror. Quod si tamen cuiquam nondum satisfactum fuerit, me operæ pretium facturum esse existimo, si potissimas adjungam. Conjugio libertatem tolli demon-  
strare

DE CONIVGIO.

strare fat agunt, & mulieres libertatis impedimentum esse, sesquipedalibus verbis proclamant: Dicant itaq; velim, anne & ipsi cū uxore (qui fortunatum putant, propriam habere nullam) aliquādiu vitam transegerint; quā matrimonium sibi successerit? tum primum enim ipsis, si expertos loqui sensero, fidem adhibebo, quovis adamante validiorem, quam impostero nec Ulysses dolis et astu, nec Achilles ferroā clavā à me extorqueat. Libertatem quovis bono praestantiorē denegant, forte suo exemplo, maritis, quōd mulieribus impediti vix possint cernere verum, quod verē libertatis est proprium. Fateor, quōd muliebria mancipia ad molliem facta & instituta, non ad virtutem nata & imbuta, parum sapiāt; aut noverint, quomodo uxorem decenter tractare in ornamentis et alijs necessarijs deceat. Quippe qua non ē pedibus, sed de latere viri formata, ideoq; non ut ancilla, sed ut socia sit tractanda & colenda. Hec enim est tanquam alter Tu, de Te Tuq; sumta, quae, Tecum unanimiter juncta, Te perfectiorem reddat: quin imo illa vestra amborum anima in idem velle & idem nolle transit; haud secus, atq; anima cū corpore jungitur, et quacunq; voluerit, hujus organo & ope perficit, nunquam refragante, aut moras iniiciente vel manu, vel pede, vel quocunq; membro corporis alio. Quid? eodem consensu, quo de vincula vides membra humana, ut uno laeso cōdoleant & contristentur reliqua; & corpore malè habente, simul & anima contristetur & doleat, etiā conjuges de vincuntur, ut nō solum tristitia, ærumnarum, & molestiarum onus sit commune: verum etiam lætitiā, hilaritate & jucunditate uterq; suaviter reficiatur. Egōne hoc servitium dicerem, quod commune utriusq; in doloribus est μάλαγμα; in tristitiæ astu refrigerium; in ærumnis lenimen? Egōne hoc servitutis nomine protruderem, quod idem est utriq;

O R A T I O

est utriq; ad lætitiã incitamentum; ad gaudium invitamentum? fortè detrectant hi offæminati cuculligeri (ut sub rosã hæc dicam, ne fortè resciscant) splendentes puellarum divitias; jucundam et suavem virginum formam, ut alios absterrendo, sibi solis clanculum, (ne furtim dicam) reservent, quod alijs disuasferunt. Ehodum boni viri, probè curatum! Divitijs abundantes dominaturas viris garritis: formã præstantes vix pudicas fore narratis, quòd perpetuò cum formã pugnet pudicitia: pauperis autem patris pauperis filia ductæ eodem modo, sustentando, alendo, vestiendo vos servos fore censetis: bellum inventum! ut eò facilius otio indulgètes meretricio igni uramini: Deformem autem, quæ Medusam vipereis innexam crinibus adaquet, quis duceret? Nemo. Nemo mehercule his moribus duceret aliquam. Vellem tamen his hujusmodi contingeret sortitio, ut optio ijs daretur, vel Calpurniam divitem vel Thaidem formosam ducendi (pauperem enim vel deformem ducerent nunquam) complaceret illis, reor, bellula, formosula, tenellula: Cornuti enim sic eo citius, vel absq; Lusitanorum Dutroæ usu, fierent tetragoni illorum pilei. Nec immeritò, si, ad hunc scopum uxorem ducendo collimaret, id cuidam contingeret: Medio enim itur tutissimè: Namq; nõ pulchritudinis, sed honestatis; non affluentia, sed amoris; non generis, sed procreationis causa, ut notum est omnibus, ducenda est uxor. Quin imò, quis locupletes diceret imperiosas? Audite, quotquot vestrum adsunt, matronæ pudicissimæ et honestissimæ, vos imperium affectetis? Vereor ne annuant! Nullam video. Pauperem ingenti spiritu plenis buccis proclamant molestam, quamobrem non video, nisi quod non satis dotatam duci sibi persuaserint: nesciunt enim Spartane respõsum, quod interroganti, quam dotem sponso esset allatura, dedit: Pudicitiam à majoribus acceptam. O dotem præclaram! Quæ  
 si do-

DE CONIVGIO.

si dotata veniat, dos est satis ingens. Felix cui talis contigerit, quamvis paupercola! Præstat enim virgunculam, lanâ ac telâ victum honestè quæritantem, quàm opulentam rotundâ (ut ille loquitur) vulvâ ducere: Suspicio enim hîc omnis aberit, nec extimescendum erit, te agrum, quem alij arant, seminare, & te fructû, quem alij sparsissent, legere. Pauperiores enim labore liberaliori exercitiæ formæ plerûq; sunt integræ & saniores: quippe, dum alia amore languentem animum Amadæi Poëtæ lectione refecerunt, hæ labore sese exercentes pravos humores correxerunt, morboq; languidum corpus refocillaverunt. Minus tamen tutum quis putaret formosam ducere, quod, quamvis sat pudicis sit moribus, semper subsit impudiciæ suspicio: satius autem sit pulices certi numeri in agrum deductos reducere, quotidie, quàm impudicam mulierem unicum diem integram & illibatam servare, quamvis eidem vel ipse Argus præficiatur. Sed apage cum suspicione isthac tuâ nequam, ultra Garamantas & Carmelum profugias, mala enim mens, malus animus. Sciunt tonsores & fabri malè suspicari viri boni non esse, quòd quilibet ex suo ingenio alios judicet. Innotuit enim jam omnibus Penelopes pudicitia, quæ viginti annos absentem expectans Vlysem nullis procorum, eorumq; Regum, Principum, & optimatum vniuersæ Græciæ, blandimentis, nullis pollicitationibus adduci potuit, ut castitatem corrumperet. Demotionis Areopagitæ filia, Leosthene sponso mortuo, negavit se alteri nupturam, quòd adulterum acciperet, non maritum: Illum enim vitâ functum, sibi tamen adhuc vivum maritum esse, Sed commoveretur scio si adesset, clarus iste Epistolarum exarator, & constantia author minus constans, ad quamvis enim facilimè commoveretur auram. Veretur enim, ne, cum increbuerit, ad famellas pervenerit rumor. Hæ enim scio, quò sibi hanc adpersam maculam  

ε

abster.

Exa  
 Cusht.

O R A T I O

abstergerent, maledicum ipsius caput impeterent, & cruore un-  
guibus erosam faciem confodarent. Neq̄ tamen deformibus eti-  
am, quarum tamen nulla fuerit, quæ suis veneribus & decore ca-  
reat omnino, non potest sua etiam laus esse. He enim ab omni  
suspitione alienæ verè se purgabunt, & quidem facilimè: Nō enim  
è formosissimarū ordine et numero fuit illa Duellij, Romæ primū  
è pugna navali triumphum obtinentis, uxor, quæ ex postulanti sectū  
viro, quod exprobrata ab alio grave olentia oris nunquam admonu-  
isset, candidè respondit: admonuissē, nisi puta sē, omnibus vi-  
ris ad eūdem modum olere animam. Videtis ergo sapientem haud  
decere patulas his præbere aures, qui matrimonium non desinunt  
impugnare. Quamvis enim magna malorum Mephitis Matri-  
monium comitetur, quod nihil rerum humanarum sit adeo constans  
& absolutum, ut non & sua admista habeat incommoda: Atta-  
men nube solet pulsa clarior ire dies, & si turbulentos annis singu-  
lis numeres dies, reperias serēiorum copiā longè majorem. Quam-  
vis hæc ita se habere fides historiarum indubitata monstret, nihi-  
lominus tamen, ut saltem ægrè faciant miseris mulierculis, in ob-  
stinatā pergetes malitiā instant: Mulierem lernam malorum va-  
stam esse, ex quā tanquam ex equo Trojano innumeræ prodeant ca-  
lamitatum et fraudum procelle, ut Andrellinus in Epigramma-  
tis suis: Cuncta sub astrigero regnantia lumina cælo

Nutrit in æternos fœmina nata dolos.

Quamvis enim paucissima vel è mille unica inveniat̄ur proba,  
decentibus moribus excolta: Attamen nec illa omnibus numeris  
est absoluta: Miserrimè itaq̄ vitam cum uxore transgis: quin  
imò unum esse jucundum diem, quo ducatur, jucundissimum autem,  
quo sepeliatur, oporteat: Quod doli, fraudis fons in eā sit inexhau-  
stus, qui, quo plus auferas, eo magis abundet, ut non sine causa  
felicis

DE CONIVGIO.

feliciter esse ducatur uxorem sepelire, quam ducere. Malum enim omne præter solam mulierem rejici vel saltem mutari potest. Hanc autem si duxeris, habes, & quamvis culpes, mutare tamen non potes, nisi seris longo post tempore (ut Poëta verbis utar) annis, ubi candidior tondenti barbâ cadet mors eandem auferat. Desipit autem mortem alterius si quis expectaverit, anxiam enim diu multumque spe suspensus tenetur: Quin imò sæpius, antequam eius funera offerri videat (ut idem Poëta ait) nigras cum gemitu fugit indignata sub umbras. O durum os! ô tempus perfidum! ô mores scelesti! si quisquam superiori seculo maledicus in amicum quædam hæc effutivisset, graves pœnas, credo, effugisset. Hos ergo qui non extimescunt, matrem, à quâ, quamvis degeneres, prognati sunt, maledico ore impudenter ladere, quis ferret? quis pateretur? Ita comparatum est. B. L. ut qui maledicta iaciunt, facile inveniant sibi applausores, sed longè hoc ipsum fefellit γοῦνοι καὶ ἀσπίδες, quamvis enim quandoque ita eveniat, non tamen semper eodem modo succedit. Namque, ἐξεί θεὸς ἐνδύον ὄμματα & linguam maledicam sat magno obruit pœnarum pondere, ut nesciat, an pressus, an oppressus succumbat. Mirum ni id præsenferint, antequam sui oculi & aures in linguam defluerunt: Mirum ni legerint: τὰς δὲ σάφεινας θεοὶ Φιλῶσι καὶ συγγῆσι τὰς κακὰς. Putaverunt forsitan sibi quævis licere, quòd fontem impietatis (sanctitatis inquam) colerent, et ad illius nutum res sacras & profanas componerent. Veruntamen si vera fateri velimus, agrè quis negabit, quod addit; Mulieres esse importunas cum indagando in res quas vis, tum requirendo suntus ad vestitum splendidum immensos. Hi enim, si defecerint, tutius est cum in his, leonibus & feris quibuscumque versari, quam in mulierum fastum incidere. Esto sanè: Concedamus id ipsum; Non enim ego rem uxoriam expertus sum hæcenus. Credo itaque



O R A T I O

Epistolarum conscriptori, ut hujus rei perito: Magno enim cum suo malo expertus est forsitan importunam suae uxoris superbiam, neque tamen omnino intempestivam. Suboluit enim isti, maritum suum ambire munus Cardinalis, antequam à nostrâ, cujus speciem praeseferebat, desciperat religionis professione. Bellum mehercule inventum auctoribus de constantiâ inconstantis omnes omnium mulierum animos ex sua judicare. Tam enim firmum coheret, ac si fune ex arenâ tortâ pisces in aëre captos impedires. Verum Tuæ id adscribas mollietati, imprudentiæ & inconstantiæ, quam divina trice mente fortè praesensit uxor. Longè enim te vicit prudentiâ, & credo illius animum in tuum cessit, quo ita es effeminatus. Noli ex Tuæ, tuoque ingenio alios omnes judicare; nostra enim regio non producit hujusmodi mollietatem aut fastum: Sciunt enim nostrates, quomodo uxor sit tractanda: sciunt non ancillam sed uxorem se duxisse: Sciunt è costâ de latere viri sumtâ effictam esse mulierem. Mulieres nostrates non verunt suum ornamentum à solis mariti bene egregieque factis dependere, ut parvi faciant intempestivum vestimentorum ornatum. Quod si igitur, ut ostendi, matrimonium honestissimum sit, sanctissimum & utilissimum, utpote quod nulla lex vel naturalis, vel civilis, imò nec divina prohibet, sed potius precipit, nec id ipsum immotis impugnari rationibus possit: quis viris doctis & literatis uxorem ducendam esse neget? Nam si laudabile est & honestum matrimonium, cur eosdem ab eo, quod honestum est ac laudabile, quis revocet? Si omnes decet, quæ honesta sunt, sequi, cur non potius virum literatum? hic namque est imperitis et illiteratis non deterior, sed illis propter suam sapientiam & eruditionem jure preferendus: Illiterati patriæ aut Reipubl. illius, quæ tamen illos hanc editos in lucem primò excepit; quæ vitæ quasi fixum tabernaculum illis est largita; ad securam nequiquam per-

tine-

DE CONIVGIO.

tinere arbitrantur, & non nisi suis tantum commodis inserviunt: Viri verò literati ac studijs doctrinisq; dediti, de majoribus suis optimè mereri studentes, singulis ferè momentis de Reipubl. conservatione cogitant; utilitati publicæ egregiè inserviunt; si quæ damna & incommoda Reipubl. data sunt, hi sedulo deinceps, diligenterq; illa avertere nituntur; Si quis pietatis ac religionis contemptus est subortus, hi omni studio eam in curam incumbunt, ut sacra, pura, illibata illa seruetur: cū verum omnino sit id, quod prudentes asserunt: pietate erga DEum sublatâ fidem etiam & societatem generis humani, & unâ excellentissimam virtutem Iustitiam tolli: turbatâ aut neglectâ religione Reipub: turbari: contra verò prosperè cuncta ijs evenire, qui DEum religiosè colunt. Nemo igitur sanus virum literatum à conjugio excludendum esse existimabit; cū conjugium res sit honestissima, sanctissima et maxime necessaria; ac quemlibet, cujuscunq; ille sit conditionis, uxorem ducere deceat. Gratulor ergo tibi, Reverendâ pietate, doctrinâ excellenti clarissime vir, Domine affinis exoptatissime, gratulor inquam tibi de hac tuâ felicitate, & ex animo precor, ut illa vestrorum corporum & animorum copula & conjunctio longum in tempus prorogetur: sit ea tua sponsa decus domus tuæ; sit Venus illa stans in testudine: sit vitis fructifera in lateribus domus tuæ, procreans ex sese filios, sicut olivarum ramos, quibus repleatur terra; augeatur Ecclesia CHRISTI, & regnum cælestè compleatur: sit vobis utrisq; una mens, unus animus, amor sincerus; fides indissolubilis; mutua benevolentia in prosperis & adversis: absit discordia: facescat simulatio: valeat amarulentia: Et deniq; hoc vestrum matrimonium sit omni tempore felix, faustum & fortunatum. Idq; tu ò æterne DEVS, humani generis creator, conjugij autor & conservator clementer faxis: vota spon-

O R A T I O.

is sponsorum obsecundes; vocationem fortunes, eamq̄ dirigas, quò  
in nominis tui gloriam; Ecclesiæ atq̄ humani generis propagatio-  
nem & conservationem; nostram ipsorumq̄ salutem &  
societatem cedat & vergat.

A M E N.

Ne pagellæ hæ vacuæ relinquerentur, sequens  
Epithalamium adjesit idem IOHAN-  
NES RHETE.



V fuge, qui temnis socialia fœdera lecti;  
Cumq̄, tuis Monachis Bestia sœva fuge.  
Nam pia conjugium res est; & digna seratur  
Quæ laude insigni, res quoque grata DEO.  
Hic namque est sancti thalami fundator & author,  
Vt sacra scripta docent, quis tribuenda fides.  
Præcipit Hic graviter; si quis trajectus amoris  
Telo, ex conjugio quærat anhelus opem.  
Quo sine cum minimè mortalia secula possint  
Vel servare suum, vel reparare genus,  
Est imperfectus sine dulci conjuge vivens  
Semper, nam solus non generare potest.  
Cui non est conjux, non est domus integra eidem,  
Instituiq̄ potest actio nulla domus.  
Et sine conjugio cum non consistere possit  
Publica res, ab eo nemo solutus erit:  
Scilicet hinc surgunt seri post fata nepotes,  
Cura quibus credi publica ritè queat.  
Legitimo ergo tibi dum jungis fœdera nuptam,  
Quis te perfectum, Sponse colende, neget?  
Rectè etenim, pie Sponse, facis, quod pectore casto  
Supremi servas sancta statuta DEI.

Nubes


Nubes tristitiæ semper bona Nupta repellit,  
 Rebus & in dubijs est medicina valens.  
 Quodcumq; foris privata aut publica tractas,  
 Hæc potis est domui ritè præesse tuæ,  
 Hæc tibi semper erit socia, adiutrixq; fidelis,  
 Sors quoties tristes iactat ab ore minas;  
 Et rursus quoties vultu fortuna sereno  
 Ridet, tunc aderit lætitiæ illa comes,  
 Et sic semper erit vobis commune periculum;  
 Semper erit vobis una eademq; salus.  
 Legitimi complura thori sunt commoda et usus,  
 Quos longum dignè denuerare foret.  
 Ergo conditio vitæ felicior illa  
 Num fortasse datur? nulla mehercle datur.  
 An non ergo tibi congratuler, optime Sponsè,  
 Conjugamq; alijs vota precesq; meas?  
 Fas certè est, pietas simul hoc efflagitat ipsa,  
 Vt Domino Affini prospera quæq; precer.  
 Gratulor ergo tibi ex animo, Dominoq; supremo  
 Sollicitus fundo supplice voce preces.  
 Ipse tuis cæptis ut præsit semper, amore  
 Connectatq; simul pectora vestra pari,  
 Et vestris clemens avertat ab ædibus omne,  
 Has quaquâ turbet quod ratione, malum.  
 Det DEVS omnipotens casti fundatur amoris,  
 In cujus manibus gloria, forsq; thori est,  
 Principium felix, medium felicius, atq;  
 Finem conjugio terq; quaterq; bonum.



Super nitida semper bona super repellit  
Rebus de in dubio est medicina salens  
Quod in rebus bonis aut malis rebus  
Hic libet super est fons, adhibet, nihil  
Sed quod in rebus bonis est ore minus  
Et tunc quod in rebus bonis est ore minus  
Ridetur tunc est in rebus bonis  
Et sic semper est vobis comminatio periculum  
Semper est vobis in eadem fides  
Legimus enim quod in rebus bonis est ore minus  
Quod in rebus bonis est ore minus  
Ergo conditio vix felicitas illa  
Nunquam est in rebus bonis, nulla miserabile datur  
An non ergo tibi congratulor, optime Sponte  
Congratulor tibi, quia vobis precor, optime  
Facere velle, quia vobis precor, optime  
Vi Domini Anni prope quod precor  
Quod in rebus bonis est ore minus, Domine, in rebus  
Sollicitus fando iugiter voce precor  
Iste tunc scriptis ut peris semper, anore  
Concedat, sed quod in rebus bonis est ore minus  
Et vobis de more vobis ad vobis precor  
Hic quod in rebus bonis est ore minus, in rebus  
Dei Deo in rebus bonis est ore minus, in rebus  
In rebus bonis est ore minus, in rebus  
Principium felix, medicina felicitas, in rebus  
Finem conquisit, in rebus bonis est ore minus.














DE CONIVGIO.

strare satagunt, & mulieres libertatis impedi-  
 pedalibus verbis proclamant: Dicant itaq;  
 uxore (qui fortunatum putant, propriam ha-  
 diu vitam transfegerint; quæ matrimonium s-  
 primum enim ipsis, si expertos loqui sensero,  
 vis adamante validiorem, quam impofterum  
 astu, nec Achilles ferreâ clavâ à me extorqua-  
 vis bono præstantiorem denegant, forte suo è.  
 mulieribus impediti vix possint cernere verum-  
 tis est proprium. Fateor, quod muliebria m-  
 facta & instituta, non ad virtutem nata & in-  
 aut noverint, quomodo uxorem decenter trad-  
 alijs necessarijs deceat. Quippe quæ non è pe-  
 viri formata, ideoq; non ut ancilla, sed ut soci-  
 lenda. Hec enim est tanquam alter Tu, de  
 Tecum unanimiter juncta, Te perfectiorem  
 vestra amborum anima in idem velle & idem  
 cus, atq; anima cū corpore jungitur, et quæ cu-  
 gano & ope perficit, nunquam refragante, ca-  
 vel manu, vel pede, vel quocunq; membro cor-  
 dem consensu, quo devincta vides membra hu-  
 doleant & contristentur reliqua; & corpore  
 & anima contristetur & doleat, etiâ conjug-  
 solum tristitia, ærumnarum, & molestiarum  
 rum etiam lætitiâ, hilaritate & jucunditate  
 atur. Egone hoc servitium dicerem, quod  
 doloribus est μάδαρυπα; in tristitia astu refr-  
 lenimen? Egone hoc servitutis nomine pro-

sesqui-  
 ipsi cū  
 aliqua-  
 rum  
 o, quo-  
 dotis et  
 in quo-  
 s, quod  
 bertal-  
 litiem  
 sapiat;  
 entis et  
 atere  
 & co-  
 a, que,  
 mo illa  
 aud se-  
 jus or-  
 iente  
 id? eo-  
 eso cō-  
 simul  
 r, ut nō  
 ne: ve-  
 refici-  
 usq; in  
 rumnis  
 didem  
 & utriq;



the scale towards document